



INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-  
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-  
vina essentia differentis  
notis characteristicis ordine  
et de generatione ac divi-  
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti  
ejusque aeterna processione  
a Patre et filio, et de Sa-  
cramentis tam veteribus quam  
recentioribus etc.

5 De peccato originali per  
difficiliorem stragem polystrimam  
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum  
sanctum sive peccatum ad  
mortem

7 De unione hypostatica du-  
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et  
naturarum et eorum  
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-  
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-  
gio, et statu exalta-  
tionis

11 De justificatione ho-  
minis peccatoris coram  
Deo

12 De efficacia ministerii  
verbi et sacramentorum  
Dei Ministeriorum Ecclē-  
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De sacramento ingere-  
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et  
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-  
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus  
et potestate Ecclesi-  
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus  
illi Dei qui tollit peccata  
mundi

26 De verbo Dei  
scripto seu scriptura

IN SACRA

DISPUTATIO XX.

DE INDVL-

GENTIIS PAPALIBVS:

ET IGNI PURGA-

torio

*De qua*

DEO TRINVNO AVXILI-

ante

Sub praesidio

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS,

*Respondebit*

ABRAHAMVS CALMBERGIVS,

*Molslobiensis Tyrigeta.*

*Mense Novembri.*



IENAE

Typis Tobiae Steinmanni.

Anno cl<sup>o</sup> Id<sup>o</sup> XCVI.



*Reverendis, Clarissimis, & Doctissimis Vi-  
ris, Dn. Superintendenti, & reliquis verbi  
divini in Ecclesia Gothana ministris  
fidelissimis: Iuxtaq;*

*Reverendis & doctissimis Viris,  
Dn. M. IOHANNI HELDERO Ecclesiae  
VValtershusanae Pastori vigilan-  
tissimo*

*Dn. M. IOHANNI VVIPPERTO Eccle-  
siae Sunthusinae Pastori dignissi-  
mo.*

*Dominis fautoribus & praeceptoribus  
omni observantia colendis*

*Theses hasce dicat & consecrat*

*Abrahamus Calmbergius  
Molsiöbiensis.*



DE INDVLGENTIIS  
Papalibus & igni purgatorio.

T H E S I S I.



*Q*UAM ALTA ERRO-  
rum nocte superioribus aliquot seculis,  
immersa fuerit misella Christianorum  
plebecula; tùm infinita alia Romana  
synagoga βδελύγμαλα, qua lubētes late-  
re jam patimur: tùm v. ac in primis In-  
dulgentiarum & Purgatorii ignis commentum, indicio  
nobis esse potest longè luculentissimo.

2. Ea enim tùm rerum erat facies, ut Papa, ipsiusq;  
bulligeruli, non tectè, non dissimulanter: sed palam &  
aperiè ludibrio haberent, quotquot extra rasorum & un-  
ctorum Clericorum sorbonam, vivebant homines: ut  
questuosas nundinationes de animarum salute liberè ex-  
ercecent: ut pauculis nummis salutis pretium taxarent: ut  
gratuitum nihil relinquerent: ut, quicquid hac specie  
emunxerunt pecunia, id in scorta, in lenones, in commes-  
sationes turpissimè absumerent: ut deniq; imposturas,  
fraudes, furta, rapinas, satisfactionis vim pro peccatis  
apud DEVM obtinere, rudi ac imprudens si populo per-  
suaderent.

3. Perstrinxit Simoniam hanc suo tempore Man-  
thuanus, canens:

Sunt venalia nobis  
Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,  
A 2 Ignis

Ignis, thura, preces, coelum est venale, DEUSq;  
Et Cunradus Celtes;

Quicquid in extremis habuit Germania terris,  
Et mediis quicquid continet illa plagis:  
Exhaustum est, totum & Latias migravit in arces,  
Expleat ut luxus, impia Roma, tuos.

Tezel. 1. dif. de Indulg. th. 56.  
4. *Nundinationes istas, Indulgentiarum nomine indigitabant mercatores illi, vel Harpyiis rapaciores: earumq; tantam esse vim mentiebantur, ut quamprimum nummus in cistam coniectus tinniret: anima statim in purgatorio in Calum evolet: Imò [ô execrandam blasphemiam] Indulgentias hasce esse plenariam omnium peccatorum, tam commissorum, quam futurorum remissionem: quâ quidem gratiâ nihil majus dici possit: eò quòd homo peccator, & divinâ gratiâ privatus, per illas perfectam remissionem & DEI gratiam denuò consequatur, si vel maximè [horresco referens] genitricem DEI violasset.*

sh. 99. 100. & 101. Sleid. lib. 13  
Anno Chris- ti 1517.  
5. *Etsi verò sub initium statim relucescentis pristini doctrinae Evangelicae splendoris, per Megalandrum nostrum Lutherum invictis verbi divini arietibus, ita mendaciorum isthac structura est concussa, & diruta, ut hel-leboro magis, quàm argumentis dignus videatur, eam restituere qui tentet: ea tamen hodiè est malè feriatorum Iesuitarum profligata audacia, & temeritas, ut putidas istas, putidas & obsoletas merces, per insignem calliditatem, postliminiò quasi in usum revocare haud erubescant.*

Tezel. disp. 1. de Indul. th. 91. Sleid. lib. 1.  
6. *Basis ac fundamentum impietatis hujus nititur alio, specioso quidem, sed puro puro mendacio, quo fingebant Romanenses, Merita Christi, Apostolorum & Martyrum esse thesaurum Ecclesiae; hujus autem custo.*

custodiam soli Romano Episcopo esse concreditam, penes quem tantorum bonorum sit dispensatio, ut & ipse per se elargiri, & elargiendi jurisdictionem aliis delegare possit.

7. Palliandi præterea erroris huius sui gratia, doce-  
bant, in quolibet peccato duo spectanda; Culpam & poe-  
nam: Illam Christi merito: hanc nostris satisfactionibus  
expiari. Bellar. T. 6  
f. 1423.

8. Satisfieri autem à nobis DEO vel in hac vita o-  
peribus expiatoriis, qualia sint, Oratio, Ieiunium, Ele-  
mosyna: vel post hanc vitam, poenis in Purgatorio sus-  
ferendis. Bell. f. 1438

9. Vtrumq; autem hoc Satisfactionis genus posse  
certo precio, pro qualitate delicti redimi, coemptis à nun-  
dinatore Papa Indulgentiarum quas vocant literulis. Tcz. th. 12

10. Hoc nimirum est foedum illud Augia stabulum,  
blasphemiarum scatens stercoribus: quod verbi divini  
pala, sed breviter repurgabimus.

11. Sunt autem nuga ista, uno verbo ut dica-  
mus, nihil aliud, quàm sanguinis CHRISTI  
horrenda profanatio; Satanæq; ludibrium, quo à  
DEI gratia, à vita, quæ est in CHRISTO, à  
regia salutis via, misellos homines avertere & abducere  
satagit.

12. Qua enim queso ratione sanguis CHRISTI  
profanari posset foediùs quàm dum ad peccatorum re-  
missionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem  
non sufficere ille docetur, nisi ejus defectus aliundè sup-  
pleatur?

13. Quis non videt, si ex Romanensium hypothesi quam suo commento fundamenti instar substernunt, pro culpa tantum expianda, Christi valeat meritum: nobis verò pro poena satisfaciendum restet: dimidiam Redemptionis nostrae partem nobis acceptam referri?

Seff. 6. c. 14

d. 17. Jan.

1547. Seff.

14. Can. 13

d. 25. nove.

1551.

14. Nos nihil morati Tridentini Conciliabuli anathema, hoc dogma sacris literis talem inferre, ac proinde impium planè ac Antichristianum esse, habemus persuasissimum.

Ier. 53, 5.

1. Ier. 2, 24

15. Pro poena etiam Christum satisfecisse, testis locupletissimus est Iesaias, scribens: Castigatio seu disciplina pacis nostrae super illum: Et Apostolus dicens: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum.

Gal. 3, 13.

16. Et profectò, cum maledictio legis nihil sit aliud, quam poena transgressoribus eius constituta: Christus verò, Apostolo teste, liberaverit nos à maledictione legis; factus pro nobis maledictum: vel inde evadit manifestissimum, Christum suo merito non pro culpa tantum, sed poena etiam sufficientissimam DEO Patri exolvisse satisfactionem.

17. Quid? quod liberatio à poena, separari aut divelli à satisfactione pro culpa nulla ratione potest: Expirante enim culpa seu reatu, expiret utiq; & poena, necesse est: siquidem poena nihil quicquam ulciscitur & punit, quam praeventem admissi peccati reatum sive culpam.

18. Et quemadmodum Princeps aliquis bis injustus foret, si furi, remissa culpa furti, nihilominus poenam suspendi infligeret: Ita injusticia suspicio maneret in Deo, si remissa peccati culpa, poenam satisfactionis loco pro eodem exigeret; vel si pro una culpa geminam satisfactionis poenam exposceret: unam Christo pro nobis inflatam: alter app



alteram verò nobis vel hac in vita, vel in purgatorio in-  
stigendam.

19. Absit autem & longissimè absit, ut tale quid  
de DEO, qui est ipsa iusticia, suspicemur: quin potius inju-  
stus & mendax sit Papa cum tota rassa caterva.

20. Neq; obstat, quòd piis & fidelibus interdum mul-  
ta eaq; graves immittuntur calamitates; siquidem ca-  
nullum planè satisfactionis pro peccatis coram DEO re-  
spectum: imò ne poena quidem propriè sic dicta rationem  
obtinent: quippe q̄ nō ab irato DEO: sed ob alios fines bo-  
nos ac utiles illis immittuntur: secundum illud Apostoli: Hebr. 12, 6  
1. Cor. 11, 32  
Quem diligit Dominus, hunc castigat; Et, Dum iudica-  
mur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damne-  
mur.

21. Militat porrò pro nostra sententia, universa Scri-  
ptura sacra, universa Orthodoxa Antiquitas, qua de  
obtinenda peccatorum remissione, expiatione, sanctifica-  
tione, agens: Vnum, unum Christum predicandum,  
unum nominandum, unum respiciendum esse, unanimi  
consensu flagitat.

22. Quòd verò hìc grunniunt Romanenses, San-  
ctorum Martyrum sanguinem commiscendum sanguini  
Christi, & ex utroq; thesaurum Ecclesiae, ad remissionem  
& satisfactionem peccatorum confici: nihil aliud de-  
monstrant, quàm ipsorum doctrinam ex horrendis sa-  
cilegis & blasphemis totam esse consutam.

23. Christo enim, non Martyribus, Lex & Prophe- Act. 10, 43  
1. Ioh. 1, 7  
2. Cor. 5, 21.  
ta omnes test monium perhibent, quod per ipsum accipi-  
enda sit remissio peccatorum: Christi, non Martyrum san-  
guis emundat nos ab omni peccato: Christus, non Marty-  
res, factus pro nobis peccatum (id est, peccati satisfactio)  
ut in illo, non in Martyribus, efficeremur iustitia DEI:  
Christus

*Christus solus (ergò non Martyres) attestantibus Apo-  
stolis, pro nobis crucifixus & mortuus: solus Ecclesiam  
suo sanguine acquisivit: solus una oblatione consumma-  
vit in perpetuum sanctificandos: in solius deniq; Agni  
sanguine stolas suas lavisse Sanctos perhibet Iohannes.*

*24. Audiant porrò Pontificii, si fortè Scriptura-  
rum testimoniis noluerint acquiescere, vel ipsum Leonem  
Pontificem Romanum, hac de questione minùs Papisticè  
differentem, qui sic habet: Quamvis multorum Sancto-  
rum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius ta-  
men insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Accepère ju-  
sti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium na-  
ta sunt exempla patientia, non dona iusticia: singulares  
quippe eorum mores fuere, nec quisquam suo sine alteri  
debitum persolvit: cum unus extiterit Dominus Christus,  
in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati.*

*25. Audiant etiam Augustinum, scribentem: Etsi  
fratres pro fratribus morimur, nullius tamen sanguis  
Martyris in peccatorum remissionem funditur: quod  
facit Christus pro nobis: neq; in hoc, quod imitemur,  
sed quod gratularemur, contulit nobis.*

*26. Negatorium autem & frivolum planè est illud,  
quod [ἰνα θεσω φυλάττωσιν] ex Apostolo proferunt Pon-  
tificii, qui se suis afflictionibus supplere asserit id; quod  
desit afflictionum Christi.*

*27. Neq; enim sermo est Apostolo, de passionibus,  
quas Christus in corpore & anima sua pertulit; ut qua  
nullo egentibus supplemento, omnibus suis nuveris sunt ab-  
solutissima; Sed de iis, quas in corpore suo mystico, quod est  
Ecclesia, cuius ipse caput est, perferre Christum perhibet  
Scriptura.*

*38. Has afflictiones tandem nondum consummatas*  
aut

aut completas esse fatemur, quamdiu restant pii  
affligendi, quarum portionem supplebat Apostolus,  
& pro suo quisq; Sanctorum supplet demenso.

29. Quod verò addit Apostolus, se supplere id  
pro Ecclesia, id non accipiendum est de redemptione,  
reconciliatione, aut satisfactione Ecclesie: sed de  
eiusdem edificatione & profectu: eodem planè sensu,  
quo alibi se Ecclesie ministrum factum esse scribit,  
non ad redemptionem, sed secundum dispensationem,  
que illi commissa erat, ad prædicandum Christi Evan-  
gelium.

2. Cor. 3.  
18. & 19.  
Col. 1, 25.

30. Quibus ita constitutis: Tridentini rursus con-  
ciliabuli minas, quibus anathemate percutit Indul-  
gentiarum Papalium futilitati contradicentes, fulgur  
è pelvi esse arbitramur: & Romanum Pontificem cum  
clero suo, qui hac nundinatione verè diabolica, tan-  
tas fuit suffuratus opes, quæ multorum imperiorum  
precium longè superant, meritò tanquam furum omni-  
um Imperatorem aeterni inferorum patibuli suspendio  
adiudicamus.

## II. DE PURGATORIO.

R I O.

31. Purgatorium definiunt Pontificii, esse locum  
quendam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam  
purgantur anime, quæ in hac non plenè purgata fue-  
runt, ut nimirum sic purgata in coelum ingredi valeant,  
quò nihil intrabit coinquinatum.

Rob. Bellar.  
Tom. 1. f.  
1775 Con-  
cil. Trid.  
Sess. 25. 4.  
Decembre  
1563.

32. Docent præterea Purgatorium esse dogma fidei,  
adeò, ut qui non credit Purgatorium esse, ad illud

Bellar. f.  
1840.

B nunquam

Bell. f. 184. *nunquam sit perventurus, sed in Gehenna sempiterno incendio cruciandus.*

33. *De personis autem, quibus isthac purgatio conveniat, Andabata isti plurimum ab invicem dissentunt.*

34. *Alii enim statuerunt, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto: alii per ignem purgatorii transire saltem Sanctos sine ulla lesione, materialiter, non formaliter; nonnulli omnes malos, tam demones, quam homines tandem inferno penitus evacuato salvandos, ac proinde omnes penas post hanc vitam esse purgatorias: his contradicebant alii, statuentes non demonum quidem, sed tamen omnium malorum penas fore temporales & purgatorias, rursus alii ignem hunc tantum Christianis, sive heretici sive Catholici fuerint, convenire nugabantur.*

Tom. 1, f.  
1850.

35. *Iesuita Bellarminus in ea est sententia, Purgatorium pro iis tantum esse, qui cum venialibus culpis moriuntur.*

Gerson. lect.  
1. de vita  
spirit.

Bell. T. 1. f.  
1858.

36. *Animas verò in purgatorio constitutas, de sua salute planè esse incertas, pleriq; sentiunt Scholastici Doctores; ut videre est apud Gersonem: Cui contradicens Iesuita, animas illas salutis suae habere certitudinem, contendit.*

37. *De Loco fictitii hujus purgatorii, vix duo ex illis consentiunt: alii enim ibi purgari animas statuerunt, ubi peccaverunt, hoc est, variis in locis: alii loca isthac non esse corporalia, docuerunt: alii locum esse voluerunt, hunc mundum: alii vallem Iosaphat: alii aërem caliginosum, ubi Demones versantur, alii deniq; purgatorium finxerunt esse intra viscera terra, inferno ipsi vicinum.*

Quam-

38. Quam postremam opinionem Bellarminus, <sup>Bell. T. 1. f. 186 s. & seq.</sup> communem Scholasticorum secutus errorem, approbat, locumq; illum quatuor habere sinus suaviter nugatur: Unum pro damnatis, qui sit Infernus ipse: alterum pro purgandis, qui sit Purgatorius Ignis: tertium pro Infantibus sine Baptismo decedentibus, qui sit limbus puerorū: quartum pro iustis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui fuerit olim limbus Patrum; nunc vero vacuus remaneat.

39. Ignem verò hunc esse corporeum & materialem, ejusdemq; planè speciei cum nostro elementari, contra Concilii Florentini decisionem, statuit Iesuita: qua verò ratione ignis corporeus, in animas, qua sunt Spiritus agere possit: id in hac vita sciri non posse, sed credendum esse, (nimis profectò à φιλοσόφως καὶ ἀθεολόγως) contendit. Item, utrum à Daemonibus, an ab Angelis, an verò à solo Igne anima torqueantur, nihil certi definiri posse, idem existimat. fol. 1879.

40. Iuvari autem & liberari animas è purgatorio suffragiis viuorum, qua pro illis faciant: Missis nempe, orationibus, elemosynis, jejuniis, & peregrinationibus, sentit cohors Pontificia: ubi perquam mirum videtur, quò factum, quòd hac in parte Indulgentiarum Papalium nullam planè faciunt mentionem, quarum tamen vim in purgandis & liberandis ab Inferno animabus alioqui maximam esse, opinantur. fol. 1883. & seqq.

41. Et haec quidem est Purgatorii strues planè prodigiosa, ex fabulis, mendaciis & nugis vel gerris sicutis vanioribus tota consuta & contexta: in qua destruenda haud diu nobis est immorandum, cum talia prodigia traducere, vincere sit.

42. Fundamenta, quibus structuram hanc suam

B 2 Roma.

Romanenses imponunt, si consideres, deprehendes ea partim ex ignorantia articuli de gratuita fidei justificatione, & satisfactione meriti Christi: partim ex fabulis poëticis, & figmentis Platoniceis: partim deniq; ex variis Diabolorum φάσμασι, & apparitionibus esse petita: ut videre est apud Bellarminum, Tom. 1. Controversiarum l. 1. de purgatorio. c. 7. & lib. 2. c. 8. ubi pro dogmatis sui confirmatione, ex Gorgia & Phadone Platonis: ex somnio Scipionis: ex lib. 6. Aeneid. Virg. ex Alcorano Mahometico: ex apparitionibus animarum, quae se in purgatorio esse renuntiaverunt, atq; opem à vivis implorarunt: argumenta petere non erubescit.

43. Et quanquam pro astruendo purgatorio, magno labore corradit testimonia Scripturae tam veteris, quam novi Testamenti, in quibus vinculorum, liberationis, ignis fit mentio: tamen ipsum τὸ ἐν ἀρχῇ αὐτῆσδε, & dubium per aequè dubium probare, est manifestum.

44. Neq; enim satis est, vinculorum, liberationis, Ignis, producere vocabula: sed id cum primis demonstrandum, esse quendam locum à DEO constitutum, in quo defunctorum animae delictorum venialium penas luant, donec purgentur, & gloria vitae aeternae evadant participes.

45. Id etiam praecipuè ostendendum, vocabulum Ignis in illis Scripturarum testimoniis, quae pro purgatorio stabiliendo proferuntur, rectè de igni purgatorio accipi & exponi: & id quidem non ex Antichristi, Romani nimirum Pontificis decretis: non ex Conciliis: non ex rationis suasu: non ex demonum responsis: sed ex Scriptura Sacra, quae sola est probandorum dogmatum fidei norma: & ex analogia fidei ostendendum.

46. Hoc dum non probat, ut nec in aeternum probabit

babit Iesuita: frustra cum cohorte sua laborat, si vel mille ignes, mille liberationes, mille purgationes, quarum in universo Codice Biblico fit mentio, coacervet: cum vel de consummata liberatione & purgatione per solum & unum Christum sufficientissime praestita: vel de Igne crucis & tribulationis, qui hac in vita Sanctos etiam haud raro exercet, omnia illa agant & loquantur testimonia.

47. Quod verò in praepostero Zelo, & superstitioso facto Iudae Macchabaei tantoperè tripudiant Pontificii: respondemus simpliciter qualia sunt labra, tales esse etiam lactucas. 2. Macchab. 12, 43.

48. Novit enim Iesuita, quantum fidei & auctoritatis libri Macchabeorum, & praesertim secundus iste, ex quo factum hoc Iudae depromitur, obtineat in Ecclesia: nimirum, ad stipulante etiam D. Cypriano auctoritatem fidei ex his peti nec posse nec debere: Vnde & ipse autor libri huius veniam sibi dari postulat, si minus dignè, quàm historiae competit, rem assecutus fuerit: id quod de nullo alio Sacro codice vel cogitare fas fuerit. 2. Macchab. 15, 39.

49. Deinde, si vel maximè, quasi in regias largiamur Iesuita, librum hunc esse Canonicum: totus tamen iste locus ne uno quidem verbulo Purgatorii facit mentionem: quin potius Iudas ipse suspicatur peccata ipsis etiam mortuis nocitura in resurrectione. V. 44.

50. Tum exemplum Iudae, cum sit Veteris Testamenti, nihil ad nos: imò ne in Veteri quidem locum habere potuit, cum in tota lege Mosaica, licet diligentissimè describantur singula sacrificiorum genera: tamen ne quidem de aliquo pro mortuis sacrificio reperitur: quemadmodum & precationum formulae variae & multiplices ibidem repetuntur: nulla autem sese offert, quae vel in

speciem saltem pro defunctis è purgatorio liberandis preces fundendas esse, moneat.

51. Nihil ergò hic ipse etiam locus, in quo tamen causa sua receptum deligunt Romanenses, pro purgatorio militat; nisi fortè duodecim illa millia drachmarum argenti, quæ vulgata habet versio, ad suffulciendum illud videatur idonea: quæ tamen in parte textus græci minus eos iuvat, qui nõ duodecim, sed duo tantum drachmarum millia ipsis suppeditat.

52. Porro Scriptura sacra duos tantum novit, nec plures animarum post hanc vitam status: unum æternæ beatitudinis in coelo: alterum perpetuæ damnationis in Inferno.

53. Hujus autem non quatuor distinctos, sed unum numero esse sinum, eumq; ita comparatum, ut propter chasma illud immensum, quod inter calum & Infernum interesse Servator testatur, ex hoc in cælum transire, simpliciter sit ἀδύνατον: siquidem nulla ex Inferno redemptio.

54. Pari modo Scriptura universum genus humanum in duas dispefcit classes: Credentium & Incredulorum: & de illis quidem, sive firma, sive infirma & imbecilli, modò vera fide sint præditi, disertè pronunciat. Ioh. 5, 24. quòd habeant vitam æternam: in iudicium non veniãt: Ioh. 3, 18. sed ex morte in vitam transeant: hos verò, quippe super quos ira Dei maneat, vel jam condemnatos esse.

55. Præterea, ut alia multa latere iam patiamur, vel unicum latronis in cruce pendentis exemplum, totam machinam Papistici hujus Purgatorii disfcit, ac funditus evertit.

56. Quid enim? an non purgatione ipse vel maxime ha-



mè habuisset opus, ut qui impius in DEVM, & in proximum enormiter injurius extiterit: At Servator, sine interventu talis purgationis, ipsum immediatè & rectè per mortem, juxta animam in Paradisum eterna beatitudinis translatum esse pronunciat. Luc. 23. 43.

57. Adhac patet ex iis, quae supra de Indulgentiis disputavimus, Christum Servatorem non ita suum nobiscum partitum esse officium, ut aliquam purgationis peccatorum nostrorum partem prestaret ipse: aliquam nobis prestandam relinqueret: sed solum ipsum, tam pro culpa, quam pro pena peccati ad plenum satisfecisse: id quod praeter Scripturae testimonia, supra citata, rursus unicum illud latronis exemplum, ad oculum demonstrat.

58. Praeterea Verbum DEI in eo totum est, ut demonstret tempus consequenda gratiae & liberationis, post mortem homini planè superesse nullum reliquum; sed id solius hujus vitae circumscriptum esse spatium. Matth. 5, 25. Joh. 9, 4. 2. Cor. 6, 2.

59. Vnde in quemcunq; locum arbor ceciderit, ibi futuram & mansuram eam in omnem perennitatem eadem firmissimè colligit Scriptura. Eccle. 11, 3

60. Et profectò perquam mirum videri pio cuiq; potest & debet quod factum, quòd, [si modò ullus aliquis vel in hac rerum natura, vel extra eandem aliquis est purgatorii locus,] in tot exequiarum descriptionibus, quas unquam uspiam, vel à Patriarchis, vel regibus, vel piis aliis celebratas fuisse, s. litera commemorant, ne uno quidem verbulo Purgatorii: imò ne eorum  
etiam

etiam sacrificiorum, quæ ad sublevandas Purgatorii pæ-  
nas facere somniant Romanenses, ulla fit mentio.

61. Huc accedit ingens ille comminationum divi-  
narum, quæ in Scriptura continentur, acervus, quarum  
tamen nulla, vel uno apice, Purgatorii denunciationem  
describit.

Bellar. T. 1.  
f. 1825. &  
1872.

62. Quod verò ulterius Romanenses causa suæ  
presidium in apparitionibus animarum, in purgatorio  
sele esse profitentium, ac vivorum opem implorantium,  
collocant, id meram sapit à Deo tñsa & gentilissimum.

63. Nam Christo nomen qui dederunt, Sacris edo-  
cti literis firmiter credunt & statuunt, animas defun-  
ctorum nullo planè modo his in terris apparere: ac pro-  
inde ipsissimum Diabolum se pro illorum qui apparuisse à  
Pontificiis asseruntur animabus venditasse.

Deut. 18,  
11.

64. Quæ causa est, quòd DEUS expressa lege cavit,  
ne quis sua neglecta voce, à mortuis veritatem scisci-  
taretur: quod cum tentasset Saul, Samuelem personatum  
illum, seu potius Diaboli spectrum à Pythonissa exhibi-  
tum, de successu belli consulens, aggravasse & cumulasse  
sibi DEI iram ac aeternam damnationem legitur.

1. Sam. 28.

65. Quibus ita constitutis, pleno ore ac fide clama-  
mus, Purgatorium esse exitiale Satanae commentum,  
quod Christi crucem evacuat, quod misericordiam DEI  
execranda contumelia afficit: quod fidem nostrã labefa-  
cit & evertit: quod deniq; gentilissimum plenis velis in  
Ecclesiam Christi revocat: à quibus horrendis errorum  
monstris & portentis liberanti nos DEO sit laus,  
honos & gloria, in infinita seculorum  
secula.

A M E N.







43



DISPUTATIO XX.  
E INDVL  
NTIIS PAPALIBVS:  
ET IGNI PURGA-  
torio

*De qua*  
DEO TRINVNO AVXILI-  
ante  
Sub praesidio

NHARTI HVTTERI,  
S. THEOLOGIAE  
DOCTORIS,

*Respondebit*  
RAHAMVS CALMBERGIVS,  
*Molslöbiensis Tyrigeta.*  
*Mense Novembri.*



IENAE  
Typis Tobiaë Steinmanni.  
Anno cl<sup>o</sup> Id<sup>o</sup> XCVI.

